

**IX.** Christus non est novus legislator, quomocunq; leges considerentur.

**X.** Nec mitigavit legem veterem in se, sed imperfectam tantum obedientiam ob meritum suum credentibus non imputat.

**XI.** Quamquam minus periculosa & conformior sit Scripturæ propositio: Christus in triduo mortis verus homo permansit, tamen inter Theologos negantes & affirmantes *de re ipsâ consensus utrinq; est, salvo utrobq; & realissimæ mortis & hypostatica unionis mysterio.* Varenius.

**XII.** Absurdè & contradictoriè faciunt, qui omnipræsentia carnis Christi Eutychianismum imputant, dum multipræsentiam ejus in Eucharistiâ concedunt, cum humanæ naturæ, in se spectatæ, & omnipræsentia & multipræsentia æqvè sint adversæ.

---

*Disp. XXVI.*

De

## Vocatione ad Salutem.

I.

**V**ocationis, quæ fit per verbum, præambula est vocatio per semina notitiæ innatæ & radios luminis rationis tenues, Act. XVII. 27. Dannhaverus.

**II.** Per instinctus illos naturæ interiores DEUS, post præstitum meritum Christi & vi ejusdem directè intendit viam homini parare ad conversionem seu veriorem DEI cultum, quamquam illi in se considerati nonnisi accidentaliter, id est, pædagogicè ad eandem concurrant. Hülsemannus.

**III.** Vana est Herberti de Cherbury persuasio, ex foliis luminis naturalis usu hominem salvari posse.

**IV.** Cum sine satisfactione pro pœnâ peccati nemo salvetur, Act. IV. 12. & satisfactio illa nullo naturæ argumento innotescere possit. Matth. XVI. 17.

**V.** Quoscunq; DEUS vocat, efficaciter vocat, dummodo ordini à DEO constituto vocati non reluctentur.

*VI. Vo-*